



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita S. Galli Abbatis Et Confessoris: Ex ea quæ est per Vvalafridum Strabonem, Abbatem Augiensem. Migravit è corpore anno Domini sexcentesimo quadragesimo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

VITA S. GALLI ABBATIS ET \*al. VVala-  
 Confessoris : Ex ea qua est per \* VValafridum.  
 dum Strabonem, Abbatem Augiensem. Mi-  
 grauit è corpore anno Domini sexcentesimo  
 quadragesimo. *Teste C. Baron in Not. ad Martyr. Rom.*

**C**VM præclara sanctissimi viri Colum-  
 bani conuersatio per omnē Hiberniam  
 celebris haberetur, & veluti splendidū  
 ignei solis iubar singulari decore omnium in  
 se prouocaret amorem: inter cæteros, quos fa-  
 ma virtutum eius attraxerat, fuit beatus Gal-  
 lus religiosus non minùs, quàm nobiles &  
 sæculi dignitate præstantibus, natus parenti-  
 bus. Qui optimæ indolis adolescens in spiri-  
 tualem militiam libenter admissus, tantos in  
 omni literarum & virtutum genere breui fe-  
 cit processus, vt communi vniuersorum consi-  
 lio & Columbani Abbatis mandato, inuitus  
 post alios sacræ promotionis gradus sacerdo-  
 tij dignitatem suscipere debuerit. *Fit discipulus S. Columbani. Initiatur sacerdotio.*

Dum hæc agerentur, & religionis amor in  
 animis discipulorum egregiè cresceret, Colū-  
 banus studio perfectionis Euangelicæ incen-  
 sus, statuit, relictis omnib⁹, spreta propinquo-  
 rum & prædiorum dulcedine, cōceptum men-  
 tis ardorem opere comprobare. Itaq; conscen-  
 sa nauī, primū in Britanniam, indè verò in Gal-  
 lias transfretarunt: vbi à Rege Sigeberto pera-  
 manter excepti, eremū, cui \* Vofagus nomen  
 est, ineolere cœperunt. Erat locus muris an-  
 tiquitus septus, calidis aquis irriguus, sed  
 iam vetustate collapsus, qui vulgò Luxouium  
 vocat.

*Luxouienſis  
monaſterij  
initia.*

vocabatur: vbi, conſtructo in honorem Principis Apoſtolorum oratorio, tuguriola condiderunt; & præſtantis vitæ conuerſatione, multos ad idem inſtitutum atque volütariam paupertatem allexerunt.

*Corripit  
Theodoricũ  
Regem.*

Cumque hæc tam proſpera cęleſtis diſciplinæ initia in dies proficerent, & beati Columbani ſanctitas per totas Gallias & Germaniæ prouincias miraculorum gloria diffunderetur Theodoricus Rex, filius Childeberti, nepos Sigeberti, qui eo tempore Burgundionibus imperitabat, cœpit frequenti eius viſitatione multum gaudere, & precum eius ſuffragia humiliter depoſcere. Quem cum pater ſanctus increparet, quòd concubinarum pollueretur amplexibus, hortareturque vt potiùs legitime coniugis connubiò fruereſſet: Brunehildis, auiæ Regis, verita, nè ſi abiectis concubinis, Regina in regni conſortium aſſumenda, ſuam dignitatem, ſubtracto honore, vilioſiorem redderet, ſtimulo malitiæ concitata, inuidiam contra virum Dei concepit acerbam: ac tandè poſt multas iniurias, inito cum Rege conſilio, vt eum regno ſuo deturbaret, miſit legatos ſuos, qui ei regni fines interdicerent. Ille Iezabelis inſidias vitandas ratus, ilicò cum ſuis ad Clotarium Regem abiit: apud quem aliquanto tempore cū ſiuctu pietatis exacto, ad Theodebertum Auſtraſtorum Regem deindè conceſſit: qui tanti viri & diſcipulorum eius diſceſſum non ferens, poteſtatem ei fecit quemuis in regno ſuo locum eligendi; vt in eo & tranquillam Deo ſeruitutem cum ſuis exhiberet, & vicinas nationes verbo veritatis pariter inſtrueret.

*Brunehildis  
eum expellit  
è regno.*

Acce

Accepta igitur hac à Rege licentia, placuit eis, locis plurimis perlustratis, Tucconia; locus ad caput lacus Turicini situs, amoenitate quidem sua gratus atque ad habitandum commodus: sed propter incolas crudeles inprimis & impios, ac idolorum sacrificijs & augurijs deditos, execrabilis. Sancti verò, ut coepere inter illos virtutum splendore coruscare, & nebulas impietatis dispellere, primò quidè haud ita magnas ab impia gente passi sunt difficultates: sed vbi Gallus zelo pietatis armatus fana illorum succendere, idola demoliri, & obuia quæque in lacum demergere coepit; nefarij illi ira & furore commoti, Gallo necem, & Colubano supplicia flagellorum inferre decreverunt. Quo cognito, viri illi sanctissimi non timore persecutiõis perterriti, sed spiritualis lucris amore persuasi, relicta sterili cõtumacium turba, ad castrũ, quod Arbona vocatur abiere: vbi à presbytero quodam, Villimaro nomine, insigni pietate viro peramanter excepti, & diebus septem reuerenter habiti sunt. Ab eo deindè edocti in ea solitudine quèdam esse locum, & vbertate terræ, & ruinis veteris structuræ, eremiticæ vitæ mirè commodum, mox eò profecti sunt: Erat ibi oratorium sanctæ Aureliæ sacrum, sed planè neglectum: quod Colubanus postmodum in pristinum honorem, renouato cultu diuino, restituit: & cellulas hinc indè extruxit, vili quidem scemate ornatas, sed incolarum virtute ac sanctitate conspicuas. Porrò eodem in oratorio erant tres æreae imagines, auro mirificè fulgentes, quibus populus dæmonum fraude deceptus supplicabat

*Veniit Tucconiam idolatriæ deditam.*

*eo loco relicto, Arbonã adeunt, & ibidem excipiuntur hospitio à quodam Villimaro presbytero Brigantium nomine.*

*Oratorium S. Aureliæ reparatur, & cellæ aliquot constructuntur in Brigantio.*

*Zelus S.  
Galli.*

bat, & honores diuinos infano prorsus cultu decernebat. Quod conspicatus Gallus, vt erat non modò Latini, sed barbarici etiam sermonis egregiè peritus, ambonem ilicò conscendit, & nefandum idololatriæ scelus constanter redarguit, arreptisque deindè dæmonum statuis in frustra eas còminuit, & populum à tanta impietate liberauit.

*S. Galli in-  
dustria &  
sedulitas.*

Cùm autem loco iam ritè purgato, puram ibi Deo in summa vitæ tranquillitate exhiberent seruitutem, & quisque prò viribus laboraret: & alij terram profcinderent, alij pomiferas arbores excolerent, beatus Gallus texendis retibus & piscium capturæ tanto cum prouentu vacabat, vt non suis modò, sed & peregrinis aduentantibus magna charitate abundè subueniret. Accidit autè quodam noctis silentio, quòd, viro sancto in piscatura occupato, dæmon magno vocis strepitu de vertice montis proximi boaret, & alterum quendam dæmonem nominatim, quasi in lacu commorantem inclamaret: eiusque opem contra beati Galli ac sociorum eius virtutem imploraret.

*Demonis in-  
fidie.*

Commoueat te, inquit, iniuria, quam patior ab his peregrinis; qui me de templo meo expulerunt: & populum post se auerterunt. At ille suorum impotentiam manifestans respondit: Et quidè similis casus, eheu, me coarctat: vnus siquidem ex illis in pelago me premit, & mea deuastat; cuius nec retia vnquam corrumpere, nec subuertere possum. Nam, inuocato assidue Christi nomine, nostras contemnit insidias, & versutias superat. His auditis, Gallus signo Crucis vndiq; munitus festinè ad littus redijt, & Ab-

& Abbati suo Columbano audita narrauit. Ille dato cōfestim signo, cunctos ad ecclesiam conuocauit, atq; in orationem cum suis prostratus ingentem dæmonum cateruam, per montium cacumina horrendè eiulantem, in fugam compulit: locumq; dæmoniorum terriculamentis infestum ritè perpurgauit. At verò, fugatis dæmonibus, ciues quidam, propter idolorum suorum abolitionè vehemènti odio in sanctos concitati, Gunzorem loci istius ducem excitarunt, vt eos pelleret. Qui calumniatorum sermonibus facilè in eam mentè inductus, vt crederet illorum infestatione publicas venatiões esse turbatas, protinus missis nuntijs eos discedere iussit: Sed & incolæ duos insuper ex illis, vaccam quam furto abstulerant requirentes, morte multârunt: quos sancti fratres męsti in oratorio condiderunt.

Post hæc cū Dux discessum eorū vehemētius vrgeret, & Columbanus suos, vt poterat, solatus acceleraret, B. Gallus repentina febre correptus, ad VVillimarum presbyterū, curæ dæ valetudinis ergò, redire est coactus. Existimabat aut̃ Columbanus eum simulato morbo longioris viæ detrectare laborè: vndè abiturus interdixit Gallo diuinorū celebrationem mysteriorum; præcepitq; ne se viuente Missam facere præsumeret. Columbano autem & socijs longiori interuallo remotis, mox amissam mirabiliter sanitatem recuperauit: diuina utique prouidètia infirmatus, vt in ea regione multorum spiritalium filiorū pater existeret. Igitur sanitati restitutus, eremiticæ vitæ cupidus, duce Hiltiboldo VVilliamari diacono vastam

est in-

*Profigat  
dæmones S.  
Columba-  
nus.*

*Gunzo Dux  
eos pellit, &  
incolæ duos  
occidunt.*

*S. Gallus in-  
firmitate de-  
tentus re-  
manet.*

*Conualescit.*

*Eremum  
adit.*

est ingressus eremum; in qua Dominus singula-  
rem eximiamque viri sanctitatem eidem dia-  
cono reuelare dignatus est. Cum enim longi-  
tineris fessis laboribus cibum pariter sumpsis-  
sent, & Hiltiboldus leni deinde sopore mēbra  
reficeret, Gallo interim orationi instanter va-  
cante, ecce seuus repente de monte accurrit  
versus, micæ & fragmenta, quæ conuiuantibus  
deciderant, collecturus. Quod factum homo  
Dei contemplans, dixit ad feram: In nomine  
Domini præcipio tibi, vt lignum igni nostro  
fouendo necessarium citò adferas. Ad cuius  
præceptum agrestis bellua validissimum lig-  
num, dorso sublatum, attulit, & in ignem inte-  
xit. Quo accepto obsequio vir sanctus integrè  
famulanti porrexit panem, præcepitque vt in  
nomine Domini abiens circumpositos montes  
& colles ita communes haberet, vt tamen nul-  
li cuiquam damnum inferret.

*Insidie dæ-  
monum.*

Nocte deinde illa in precibus exacta, mande  
Hiltiboldo ad fluuium eunti, & rete in gurgite  
mittenti duo cacodæmones in effigie mulierū  
sunt obuiam facti: qui diaconum nudata turpi-  
tudine, ad scelus inuitabant. Quod simulac  
reuerfus beato Gallo indicasset, simul in terram  
prostrati precum suarum instantia, ac vi ora-  
tionum, ex illo confestim loco eos expulere.  
Post quæ eremi valle perlustrata, cum locum  
commodissimum reperissent, ibidem Cellam  
ædificauerunt: & serpētum plurimam indè mul-  
titudinem diuino implorato numine profliga-  
runt. Inter hæc Ducis Gunzonis filia singulari  
pulchritudine virgo, Fridiburga nomine, à dæ-  
monio miserabiliter est arrepta; tantisque agi-  
tata

*Fridiburga  
Duci Gun-  
zoni filia à  
dæmone ob-  
fessa.*

tata molestijs, vt parentibus, toti que familiae, ingentem cum miserabili moerore, luctum adferret. Ad quam euocatus vir Dei eam, cum à duobus Episcopis curari nequiret, sua oratione repente liberauit; & Ducem, ac Sigebertum Regem præcipue, Theodorici filium, qui eam sibi desponsauerat, incredibili gaudio perfudit. Quibus ita perpetratis, Dux ingentia ei dona, quæ Rex puellæ transmiserat, obtulit: atque vt pontificatum Constantiensem assumeret, enixè postulauit. Et quidem summum illum honoris gradum cõstanter recusauit, dona vero ac munera ita admisit, vt ad amicam reuersus solitudinem, cuncta pauperibus distribueret: ipse tantæ paupertatis amator, ac pauperum & egenorum benefactor, vt ne argenteum quidem vas preciosum valdè inter alia dono acceptum, in sacri ministerij vsum reseruare voluerit: asserens præceptorem suum Columbanum in æneis Domino sacrificare solitum; vt potè quod Saluator ipse, Sacerdos & sacrificium in ara Crucis æneis clauis Deo Patri suo immolari voluerit.

Porrò Fridiburga Ducis filia tanto à beato Gallo per Dominum beneficio affecta, eiusdè sancti viri consilio suam Christo virginitatem obtulit. Instante enim nuptiarum die, cum inducias septem dierum haud difficulter, recuperandarum prætextu virium quas dæmonis agitatione penitus conquassatas esse querebatur, à Rege impetrasset, toto illo tempore precibus & lachrymis incubuit; ac postremò, deposito terrenæ dignitatis amictu, ecclesia beati Protomartyris introiuit; ibidemque sancti-

R moniæ

*Eam liberat  
S. Gallus.*

*Recusat Episcopatum.*

*Cuncta largitur pauperibus, etiam argenteum vas.*



*Fridiburga*  
virgo conse-  
cratur Chri-  
sto.

*En pientissi-  
mi Regis  
mortificatio-  
nem.*

*Fridiburga  
præficitur in  
Abbatissam.*

monia nitorem cum quodam sui contemptu  
secuta, ad altare accessit, suamque Deo virgini-  
tatem dicavit: cuius votum Rex iustitia tenax  
& timore Domini plenus tandem ratum ha-  
buit. Non poterat absconditum amoris ignem,  
quo eam deperibat, occultare: quin profusus  
lachrymis ecclesie limen excedens, eum pate-  
faceret. Egregie tamen amoris vehementiam  
Domini timore repressit, & Christi sponsam  
donis ingentibus honoratam, virginum mona-  
sterio (quod in Merensi ciuitate, vbi cuncta hæc  
agebantur, Principi Apostolorum sacrum est)  
præfecit.

*Ioannes dis-  
cipulus S.  
Galli fit Epi-  
scopus Con-  
stantiensis.*

*Condit mo-  
nasterium S.  
Gallus.*

Post hæc Dux cupidus beatum Gallum ad  
Constantiensem promouendi dignitatem, ni-  
hil non moliebatur, vt eum honorem vir san-  
ctus admitteret: sed ille summus eremi & qui-  
etis amicus, ac humilitatis amator præcipuus,  
eam dignitatem ad Ioannem diaconum disci-  
pulum suum reiecit. Erat is Ioannes studio &  
industria beati Galli sacris literis probè eru-  
ditus, & eo honore nequaquam indignus. Pare-  
bat tamen in omnibus discipulus, quanquam  
antistes, Ioannes præceptori suo Gallo, & Gal-  
lus pariter, precibus, consilio, & sacris interdi-  
concionibus discipuli onus subleuabat, dabat  
que operam vt creditum ei gregem subditum  
& doctoris sui amantem redderet.

Confirmato verò in dignitate Ioane, beatus  
pater, cultor caelestium virtutum eximius, con-  
didit monasterium, in quo fratres duodecim  
monastici sanctitate propositi roboratos con-  
stituit, & doctrina pariter & exemplo ad æter-  
norum desideria præclare concitauit. Inter ea  
verò

verò beatus Columbanus in Italia vitæ mune- *Celebrat*  
 re sanctissimè perfunctus est: quod simulac *rursus sacrè*  
 Iesti visione edoctus cognouit Gallus; ad in- *defuncto*  
 termissa in illum vsque diem diuina mysteria *Columbano.*  
 festiuè celebranda se comparuit. Cumque stu-  
 pente Magnoaldo diacono, & in memoriam ei  
 Columbani interdicitum reuocante, sacrificiū  
 obtulisset, ait ad discipulum eundem illū Ma- *Bobium mēā*  
 gnoaldum: Vade, ad Bobium Monasterium, & *monasterium S.*  
 diligenter de obitu Patris nostri Columbani *Columbani.*  
 inquire; vt scias, cognito die & hora, visionē  
 nostram nequaquam esse inanem. Abijt is pa-  
 tris sui benedictione munitus, veniensque ad  
 monasterium: & beatum vita functum cogno-  
 uit, & baculum eius à fratribus ad Gallū transf-  
 erendum accepit. Columbanus enim iam mi- *S. Columba-*  
 graturus fratribus præceperat, vt eum beato *ni vita habet-*  
 Gallo in certissimum absolutionis indicium *tur 21. No-*  
 quanto ocius destinarent. *uemb.*

Post hæc Abbas monasterij Luxouiensis Eu- *S. Eustachij*  
 stachius ab huius vitæ exilio ad supernam pa- *vita habetur*  
 triam migravit: & beatus Gallus ad honoris i- *29. Martij.*  
 stius onerisque successionem à fratrib. multis  
 precibus euocatus fuit. At ille tenax sui pro-  
 positi, nullo modo humilitatem ac paupertatē  
 suam vllis vel honorum vel diuitiarum sordi- *Non vult ef-*  
 bus inquinari est passus. Cū verò bonorum *se indignit-*  
 omnium auctor Deus, athletam suum laureis *te, vel bono-*  
 premiorum perennibus vellet adornare, Vvil *re.*  
 limarus infimis precibus eum ad Arbonense  
 castrum inuitauit: vt salutaribus institutis *Obitus eius*  
 animos omnium ibidem imbueret. Quò vt *in castro Ar-*  
 peruenit, postquam biduo ibidem saluta- *bonensi.*  
 rem diuini verbi succum multorum cordibus

R 2 instil-

instillauit, tertia die febre correptus, quarto demum decimo die, expletis nonaginta quinque ætatis suæ annis, ex vitæ huius ergastulo migravit; bonorum operum in vita plenus, & multis magnisque miraculis post mortem clarus: Sacrum corpus eius, cum vt ibidem sepeliretur loco moueri non posset, fuit duobus indomitis equis impositum, atque ab eis mirabiliter ex Castro recto itinere ad Cellam in eorum delatum: ibidemque competenti honore terræ mandatam.

*Locus sepulchre eius.*

*Teste C. Baron. in Not. ad Martyr. Roman. Vide & Tomo 9. Annal. 16. Octob. Patria eius.*

*Pietas eius.*

VITA S. LVLLI ARCHIEPISCOPI Moguntini: vt habetur in breuiario Moguntino: Migravit è corpore anno Domini 787, cum fuisset annos 32.

**L**VLLVS apud Anglofaxones in Britannia natus, à primis annis Christum cum literis imbibit. Nam adhuc septennis cuiusdam monasterij patribus commendatus, nihil omisit, quod ad promerendam Dei gratiam pertinere posset. Corpus, cum adoleuisset, assidua edomans abstinencia, spiritui subijciebatur in sanctarum verò scripturarum meditatione, tanta diligentia versabatur, vt omnes in admirationem sui conijceret. Fama autè eo tempore per Britanniam crebrescente, de rebus feliciter gestis Bonifacij Moguntinæ vrbis Archiepiscopi, cui Lullus sanguine iunctus erat, ijs in locis messem quidem vberimam, at operariorum maximam esse penuriam: cepit animo voluere quomodo tam sancta & necessaria functione occupato opem ferre posset. In iam Diaconatus gradum adeptus, ex superiorum